

maximum, nisi belli civilis incendium salute patriae restin-
xeris: ut illud fati fuisse videatur hoc consilii. Servi igitur
iis etiam iudicibus, qui multis post saeculis de te iudicabunt:
et quidem haud scio, an incorruptius, quam nos. Nam et
sine amore, et sine cupiditate, et rursus sine odio, et
sine invidia iudicabunt. Id autem, etiamsi tunc ad te,
ut quidam falso putant, non pertinebit; nunc certe pertinet,
esse te talem, ut tuas laudes obscuratura nulla unquam sit
oblivio.

X. Diversae voluntates civium fuerunt, distractaeque
sententiae. Non enim consiliis solum, et studiis; sed armis
etiam et castris dissidebamus. Erat autem obscuritas quaedam,
erat certamen inter clarissimos duces: multi dubitabant, quid
optimum esset; multi, quid sibi expediret: multi, quid deceret:
nonnulli etiam, quid liceret. Perfuncta respublica est hoc
misero fatalique bello: vicit is, qui non fortuna inflammaret
odium suum, sed bonitate leniret: nec qui omnes, quibus
iratus esset, eosdem etiam exilio, aut morte dignos iudicaret.
Arma ab aliis posita, ab aliis erepta sunt. Ingratus est injustus-
que civis, qui armorum periculo liberatus, animum tamen
retinet armatum: ut etiam ille sit melior, qui in acie cecidit,
qui in causa animam profudit; quae enim pertinacia quibus-
dam, eadem aliis constantia videri potest. Sed jam omnis fracta
dissensio est armis, et extincta aequitate victoris: restat, ut
omnes unum velint, qui modò habent aliquid non solum sapien-
tiae, sed etiam sanitatis. Nisi te, C. Caesar, salvo, et in ista
sententia, qua cum antea, tum hodie vel maxime usus es,
manente salvi esse non possumus. Quare omnes, te, qui
haec salva esse volumus, et hortamur, et obsecramus, ut
vitae, ut saluti tuae consulas: omnesque tibi, ut pro aliis
etiam loquar, quod de me ipse sentio, quoniam subesse
aliquid putas, quod cavendum sit, non modo excubias et
custodias, sed etiam laterum nostrorum oppositus, et corporum
pollicemur.